

PLINE, Lettre II, 17

C. Plinius Gallo suo s.

¹ Miraris cur me Laurentinum [...] meum tanto opere delectet; desines mirari, cum cognoveris gratiam villae, opportunitatem loci, litoris spatium.

² Decem septem milibus passuum ab urbe secessit, ut peractis quae agenda fuerint salvo jam et composito die possis ibi manere. [...]

Villa usibus capax, non sumptuosa tutela. ⁴ Cujus in prima parte atrium frugi, nec tamen sordidum; deinde porticus in D litterae similitudinem circumactae, quibus parvola sed festiva area includitur. [...] ⁵ Est contra medias cavaedium hilare, mox triclinium satis pulchrum, quod in litus excurrit [...]

⁶ Hujus a laeva retractius paulo cubiculum est amplum, deinde aliud minus quod altera fenestra admittit orientem, occidentem altera retinet; [...] ¹⁰ Ex alio latere cubiculum est politissimum; deinde vel cubiculum grande vel modica cenatio, [...] post hanc cubiculum cum procoetone, altitudine aestivum, munimentis hibernum; est enim subductum omnibus ventis. [...]

Hortum morus et ficus frequens vestit, quarum arborum illa vel maxime ferax terra est, [...]

²⁹ Justisne de causis jam tibi videor incolere inhabitare diligere secessum? quem tu nimis urbanus es nisi concupiscis. Atque utinam concupiscas! ut tot tantisque dotibus villulae nostrae maxima commendatio ex tuo contubernio accedat.

Vale.